

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Prudentes vino abstinent. Emblema XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Prudentes vino abstinent.
EMBLEMA XXIV.



QUID me vexatis, rami? sum Palladis arbor:
Auferte hinc botros; virgo fugit Bromium.

COMMENTARIUM.

I. **S**TET olea arbor ramis suis, & perpetuo suo virore decora, ad cuius radices implantata sit vitis, quæ sursum serpendo palmites suos cum oleæ ramis implicet.

II. **V**IDETVR hic *παλινοδέν*. Superiori enim dixit epigrammate, eum, qui à vino abhorreat, haudquaquam prudentem euadere: quod rationibus aliquot, si non omnino necessarijs, saltem tamen probabilibus confirmari potest. Nunc autem prudentes à vino abstinere debere ponit. At hæc inter se sic conciliare est facile, si dicamus prudentis esse vino moderatè vti: seculus enim sumptum, rationem obturbat,

curas, vigoremque animi impedit, ut merito celsiter in Prouerbijs, *Sapientiam vino obumbrari*, ait Plinius. Sanctius titulum malè collocatum esse censet, cum epigramma de virginibus tantùm agat, quibus vinum dandum non est: hanc igitur discrepantiam conciliat mutato lemmate, sic: *Virgines vino abstinent*. Porro hic oliua, Mineræ arbor, vitem increpat, quæ suos ramos implicet, & admoueat oliuis; eiusque coniunctionem & societatem deprecatur. Sumptum est autem distichon ex eo Græco incerti:

*Παλλάδος εἰ μὴ φυτὸν, βρομῖα τί με δλί
βετε κλάνας;*

I 4. Ἀρίστε

Fons Emblematis.

Αἴπετο τοὺς βίβρατος . παρδύτος ἔ
μειδύα .

Quod Iambicis dimetris sic reddidit Po-
litianus :

Quid me implicatis palmitos ,
Plantam Minerua , non Bromij ?
Præcul racemos tollite ,
Ne virgo dicar ebria .

Minos autem sic :

Palladis sum planta , Bromij cur me affi-
gitis rami ?

Tollite racemos: virgo ego nõ sũ ebria .

Quid me palmitibus premittis ? sum planta
Minerua ;

Tollite mi vites: vina puella fugit .

QVID me vexatis] premitis, infestatis.

De verbo vexo, vide Gellium lib. 2. cap. 6.
Romij] Palmites, pampini .

Sum Palladis arbor] Olea seu oliua .

Olea quã
lis arbor .

arbor est in Hispania atq; etiam in Italia
notissima & frequentissima; Germanis verò,
& Septentrionalem plagam inhabitantibus
penè incognita, gaudet enim regione
subcalida & temperata: nobis Tirolensibus
ob vicinitatem Italiz satis innotescit, præ-
sertim ei parti, quæ lacui Benaco, vulgò
lago di Gar da, vnica: (vt ferunt) carpio-
num piscinæ, adiacet. Huic folia nunquam
deficiunt, semperq; frondet, crescit lentè
& tardius, perdurat tamen annis plurimis:
fructum fert vtilissimum, baccas nimirum
oblongas, prunulis similes, ex quibus oleũ
conficitur omnium præstantissimum, sed
& esui salutarè ac præparatæ accommodan-
tur. Oleq; autem folia (dictũ mirabile) bru-
mali & solstitiali die conuertit, vt quæ pars
eorum fuerat inferior & occultior, eam su-
pra ferri, atq; ad oculos & Solem exponi,
prodit, & seipsum expertum dicit Gellius
in Att. noct. lib. 9. cap. 7. Contingit autem
(vt hoc obiter addam) bruma seu solsti-
tium hybernũ Sole existente in Capricor-
no ipsi Idibus Decemb. estq; dies omnium
breuissima. Solstitium verò æstiuum con-
tingit Idibus Iulij, Sole in principio Can-
cri existente, estque dies anni longissima.
Oliua coronabantur equites, triumphan-
tes, & quantes; gestantibus indicium erat
pacis: vnde pacifera dicta. Oleam Miner-
uæ sacram esse superiori Emblemate dixi-
mus, idque testatur Plinius lib. 12. cap. 1.
lib. 16. cap. vlt. & 17. cap. 44. Martianus
Capella lib. 6. Sidon. Ouid. lib. 6. Meta-
morph. Virgil. 2. Georg.

Solstitiũ
quando
cõtingat .

Olea Mi-
nerua sa-
cra .

Adsis, ὁ Τεγεαὸ σαυὲν, oleaq; Minerua
Inuentrix .

Oleũ, inquit Phornutus, munus est, quod
mortalibus dedit Minerua. Ideo autem
Minerua donum esse creditur, quod sem-
per in virore sit, glaucumq; colorem præ-
se ferat. Oleum adulterari nequit per aliũ
humorem, verũm semper in sua sinceritate
persistit: itaq; non dissimile est virginitate.
Virgo creditur Pallas, vt inquit Põicus
Heraclitus, quia ἄφθορον αἰὲ τὸ φῶς ἔχει .
id est, Nunquam consensit prudentia, ne-
que vlla inficitur labe. Neq; vñibus huma-
nis polluitur olea; vnde non temere Deo-
rum aris accendebatur. Græci quidam ne-
gabant ab impudicis plantatam oleam cre-
scere, fructumq; ferre: itaq; à virginibus
& castis duntaxat inferi volebant. Sed au-
diamus carmina, quæ ex Auieno se tran-
sulisle Perottus testatur:

Olim quas vellent in rustola sua
Diui legerunt arbores: quercus Ioui,
Et myrtus Veneri placuis: Phæbo laurus,
Pinus Neptuno; populus celsa Herculi.
Minerua admirans quare steriles sumeret,
Interrogauit causam. Dixit Iupiter:
Honorem fructu ne videantur vendere .
At me Hercules, inquit, quid quisq; voluerit,
Oliua nobis propter fructus est gratior .
Tunc sic Deorum genitor, atq; hominũ sator:
O nata, meritò sapiens dicere omnibus .
Nisi vtile est, quid facimus, stulta est gloria.

Oleum etũ Iudæorum regibus vngendis
erat olim proprium, vt ait Lactantius lib.
4. de vera Sap. cap. 7. adeo vt reges illi om-
nes Christi, id est, vncti fuerint appellati,
(vt Psal. 105. Nolite sanguere Christos meos)
à Christo videlicet, qui est Rex regum, &
Dominus dominantium, Apocal. 19. Mos
tamen iste ad alias quoq; gentes postea di-
manauit . Nam & Vlystem reducem ab
Eurynome domi suæ primum locum, de-
inde oleo vnctum fuisse, priusquam per-
pulchrè vestiretur, Homerus indicat. Ideo
autem veteres Reges vngebant, & tãquam
stellarum rote caput lineabant, sapientiæ
sedem oleo dignam, quod Mineruæ ijdem
consecratur: quamquam vnctionis istius
etiam alia dari potest ratio, quod Regem
non modo aduersus hostes, sed etiam do-
mũ cõtra scelera & insidias pugnare deceat;
ideoq; par sit, cum oleo inungi, velut ob-
luctantem & arduam athletam in sacris
priscorum ludis, qui Ioui, vel alii cuiuspiam
numini,

Arbores
Dij: sa-
cra .

Oleo inno-
ti reges
Iudæorũ .

Et alij .

Causa .

numini, aut manibus per inferias edebantur, Vnde apud Virgilium:

*Exercet patrias oleo labente palastras
Nudati socij.*

Stephan. Forcatulus lib. 6. de Gall. imper. & Philof. Sed nunc ab oleo ad butyram (hem, lapsus sum) ad botrum.

Botros βότρυς, Βότρυος, declinat Græci, significat gemmas; *συγχοχικὸς* pro racemo accipitur.

Virgo fugit puella verecunda & pudica procul est ab omni temulentia, abhorret à vino.

Bromium Bromius dictus est Bacchus, παρὰ τὴν βρόντην, i. à tonitru, quod dum nasceretur, est auditū, vt fabulantur. βροῦτῶν n. tonō significat. vnde Brontes ille gigas, Vulcani famulus dictus fuit. Vel dicitur à βρῖμω, fremō, strepo. Iuuen. Sar. 6.

----- Bromium committere noli.

& ad rem appositè Theogonia scriptor non inueniustus. Pylades:

*A strepitu Bromius, q̄ vociferetur Iacchus:
Quod curis soluat corda, Lyaus erit.*

Reperi citatum ex Ennio Athamante: *His erat in ore Bromius, his Bacchus pater
Illis Lyaus vitis inuentor sacra.*

Multa Baccho nomina indita expressit Ouid. 4. Metam.

*Thuraq̄, dāt, Bacchumq̄, vocant, Bromiumque,
Lyaumque,*

*Igninomūq̄; satumq̄, iterū, solūq̄, bimaterem.
Additur his Nisensq̄, inderōsusq̄, Thyoneus,*

*Et cum Kenao genialis confisor vna,
Nycteliusque, Eleusque parens, & Iacchus, & Euan,*

*Et qua præterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber, habes.* -----

De Bacchi cognominibus prodita plura sunt à Lylio Gyraldo in hist. Deor. & à Iuliano Aurelio, & alijs

IV. MVLTa nobis præcipiunt scriptores & sacri, & profani de vini vsu, & eius incommodis, ex quibus aliqua afferre operæ erit precium. Virgilius in Opusculis:

*Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namq̄, modo vna, Venusq̄, nocent.*

*Vi Venus enervat vires, sic copia vini
Et tentat gressus debilitatq̄, pedes.*

*Multos cæcus amor cogit secreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.*

*Bellum saepe parit seruis exitiale Cupido:
At Lapisbas bello perdis, Iacche, graui.*

Quare hoc epigrammate olea, quæ est pa-

cis & tranquillitatis signum, vitem à se arceat: ex vino namq; nascuntur plerunq; discordia, rixæ, & bella, id testante sapientissimo Salamone, Prouerb. 20. Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas: Qui cumq; his delectatur, non erit sapiens. Sed & hoc, præsertim fœminis, meliori illi sæculo sanctè obseruatum ait Valer. Maxim. lib. 2. ca. de institutis antiquis: Vini, inquit, vsus Romanis fœminis prorsus ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur; quoniam proximo à Libero patre incontinentiæ gradus ad inconcessam Venerem esse contineat. Quæcunque enim fœmina vini vsum immoderate appetit, ea & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. Hęc ille. Iuuenal. Sat. 6.

----- *Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis qua sint discrimina
nescit.*

Cuius quidem rei non inscius Romulus, vino semper est vsus parcissimo. Quodq;

antiquitus Romanis mulieribus vinum bibere, perinde ac si in adulterio deprehensæ, capitale fuerit, scribit Gellius lib. 10. c. 24. vnde institutum, vt cognatis osculum ferrent, deprehendēdi causa, quò indicium odor faceret si bibissent. Sed & M. Cato refert, non solum probro affectas, sed mulatas quoque à iudice mulieres, nō minus si vino vsæ essent, quàm si adulterium admisissent. Egnatius Metellus vxorem, quòd vinum bibisset, interemit: cuius facti nec accusatorem, nec reprehensorem habuit, vnoquoq; existimante optimo exēplo illam violatæ sobrietatis penas pependisse, ait Val. Max. lib. 2. c. 1. Polybius etiam testis est, matronas liberas vino abstinnisse, vt etiam seruos, item & ephebos omnes ad annum vitæ tricesimum, quòd & apud Massilienses in vsu fuisse nonnulli tradunt. Proditum est ab Eliano, lib. 2. cap. 37. De var. hist. Zaleuci legem apud Locrenses fuisse, quæ si quis merum bibisset, nisi valetudinis causa medico id iubente, morte mulctabatur. Ex quibus perspicuum est, quàm olim odio habiti sint ebriosi, vinoque dediti. Οἶνος (inquit Plato in Cratylō) δὲ τὸ οἴστρος τὸν γυναικίαν, hoc est, vinum dicitur ab eo, quòd existimatione ac opinionum vanitate mentem oppleat Et Plutarch. de tranquillitate animi: Vini & carniū plenior vsus corpus quidem validum, athleticæq; firmitate facit

Romulus sobrius.

Romana matrona vinū non attingebant.

Quibus vinum interdiceretur.

Vini vnde dicitur.

Bromius cur di-
tus Bac-
chus.
Brontes.

Bacchi co-
gnomina.

Veneris
& vini
proprieta-
tes, & co-
gnatio.

cit, animum verò imbecillum & fragilem.

Et Ovidius :

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile
suadent :

Illà pudore vacat, Liber, amorq; metu.

Propertius :

Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,

Vino saepe suum nescit amica virum.

Proverbium vetus est, *Anima secca, sapientissima*. An vero etiam conciliabimus ad epigraphen huius distichi Plautinū illud ? Non vinum moderari, sed vino solent, qui quidem probi sunt. Retuli paulò antè monitum Polybij certè graec. *Ααθεις ισιν αδυνατον την γυναικα πιστας οινον*, fieri non posse, vt quæ vinum biberit mulier, lateat. Bellè contentit illud Varronis ex Agathon: Virgo de conuiuio abducatur ideo, quòd maiores nostri virginis acerbæ aures

Veneris vocabulis imbui noluerunt. Dionysius legem primùm à Romulo scriptam fuisse testatur lib. 2. de prohibito temeto fèminis. Vinum siquidem, iuxta prouerbiū, lac Veneris dicitur. Ouid. 3. Artis :

Tiorpe iacens mulier multo madefacta

Lyao,

Digna est concubitus quoslibet illa pati.

Virginitas deniq; præsertim sacris, imò & omni adolescenti, virus & toxicum esse vinum, adhortatur egregiè D. Hieronymus epist. 44. Si experto, inquit, creditur, moneo præcipuè, vt virgo, seu sponsa Christi vinum tamquam venenum fugiat: hæc aduersus adolescentiam prima sunt arma dæmonum. Vinum enim & adolescentia duplex incendiis voluptatis: quid oleum flammæ adiciamus? Hæc ille, & rectè fanè: Nā Venus in vinis, ignis in igne subest.

*Vinū lac
Veneris.*

In statuum Bacchi.

EMBLEMA XXV.



DIA.